D. Apostoli monitum, vitam nostram εὐσεβῶς δικαίως καὶ σωφρόνως
instituamus, eum nobis semper scopum praefixuri, ad quem et ipse apostolus
collimavit, omnesque actiones suas unice direxit. Quid pluribus opus?
Unicum tantum loco omnium inseram exemplum, quod est Caroli V. imperato-
ris augustissimae memoriae. Hic hic apparatum mortualem, sanctissime
avi illius Maximilianum, apud se habuisse quinque annis memoratur, me-
moratur secum eum vexisse, ubicunque locorum esset, etiam quum Medio-
lanum adversus [contra] Gallos proficisceretur. Quid? quod et ipse diligentissime
singulis noctibus in suo cubiculo illum jusserit reponi. Dicite mihi jam nunc
Ven: A. qua causa tantum asservandi thesaurum fuerit? Sibi sc: con-
scius imperator in rei charissimae usum apparatum mortualem secum
deferebat. Assidue quippe mortem cogitabat Carolus et bonum applausum
singulis diebus exoptabat, ad lectum quotidie surgens. Nolo longius immo-
rari argumentis procul dissitis, iisdemque aures vestras Patroni opt.
Fautores pl. col. diutius obtundere. Fam quidem n. metuo ut oratio mea
aliena ab hac dicendi provincia, quam in me hodie suscepisse videor.
Succedant ergo propria. Nam et suam personam optime egit, max.
Venerandus Magister Vechnerus Vir piissimae memoriae, et morte sua
exemplum mortalitatis humanae nobis ostendit, eoque innuit, vere
vitam nostram esse mimum. Expressit ille suo exemplo, multum
juris Fata adversus homines habere, adeoque nullum hic discrimen inter
senes et juvenes, inter Nobiles et ignobiles, inter doctos et indoctos, inter
honoratos et minus honoratos viros servare. Absolverat B. Vir
annum aetatis quintum et septuages. quum illum Magnus Comoediae Ma-
gister evocaret. Intra tot annorum decursum varias egerat Personas
in Mundi theatro. Egerat ut juvenis mox probi discipuli, mox
indefessi Studiosi personam. Egerat ut vir alibi locorum Personam
Professoris Mathematum: Mox Consulis sustinuerat personam: Iterum
Rectoris Sprottani personam. Gorlicensis a. Rectoris personam ultra
triginta annos egerat. Egerat et Gorlicii gradatim Sub-Diaconi,
Diaconi, Archi-Diaconi et denique jamjam senex factus Primarii per-
sonam ut res Ecclesiae ac Scholae ampliaret, quem singulari Munere [illegible]
impenderat DEUS. De Nobilitate Viri nihil hic dicam: satis n. ipsi-
us eum nobilitarat. Nihil dicam de Eruditione et Doctrina, satis n.
eruditionem B. Viri loquuntur scripta publica: loquuntur et eam tot
manuscripta, quae utinam ut aliquando videant lucem omnes boni mecum
exoptant. Nihil de moribus dicam; omnes n. qui cum B. Viro unquam
sunt conversati, optime moratum eum cognoverunt. Nihil de laboribus
immensis dicam quos et in schola et in Ecclesia per omnem vitam exantlavit:
Omnes n. noverunt, fuisse eos plusquam Herculeos. Nihil de Constantia,
de patientia, Viri B. dicam. Neminem n. fugit: Eum in laboribus susti-
nendis fuisse constantissimum, in aerumnis perferendis patientissimum.
De B. Viri honoribus hoc unum dicam, quod abierit ad Patres quidem,
sed plenus honoribus, iisdemque quos saepius recusarat. Vah! quoties hic et
illic ad ampliores spartas ornandas vocatus e singulari modestia recusavit
oblatos honores, interim obtinuit in inclyta hac urbe, sat gloriae et dignita-
tis, ut paucos invenias, qui in hoc spartarum genere, quas laudabiliter